

perficere contractum, h. e. *consummare matrimonium*, ut sensus sit ad matrimonium consummandum cogi non posse *C.* Quæsitum enim fuerat, utrum talis ante eventum conditionis cogi possit ad matrimonium consummandum, ut patet ex Rubrica; ergo per *to contrahere* intelligit consummare; alias responsum interrogationi non concordaret. Vel, si tamen contendas, Pontificem velle, ut iterum *contrahatur*, eumque de contractu novo loqui, dici potest, id factum ideo, quod dubium fuerit, annon prior consensus fuerit ante conditionis eventum revocatus.

340. *Inst. 1.* In c. cit. dicitur, quod consensus pendens ab eventu futuro non sit habendus pro consensu de præsentī: atqui ad matrimonium requiritur consensus de præsentī; ergo ponendus est consensus novus.

R. *D. Maj.* Consensus pendens ab eventu futuro non est consensus de præsentī, h. e. non est absolutus et omnino perfectus ante conditionis eventum *C.* non est conditionatus, incompletus, revocabilis, quamdiu pendet conditio, et obligans ad expectandum conditionis eventum *N.* Est consensus de præsentī positus, sed conditionate, ac proinde facit matrimonium conditionatum, non nuda sponsalia de futuro.

341. *Inst. 2.* Consensus ille conditionatus præcise et tantum sponsalia de futuro constituit. *Prob.* quia si ita conditionate contrahens postea contrahat cum alia per verba de præsentī absoluta, valebit hoc secundum matrimonium: atqui non valeret, si prior consensus conditionatus valuisset in ratione matrimonii; nam matrimonium est ex natura sua indissolubile.

R. *N. Ant. Ad prob. min. R. D.* Non valeret, si prior consensus conditionatus valuisset in ratione matrimonii perfecti *C.* cum tantum valuisset in ratione matrimonii conditionati, incompleti; nec proin irrevocabiliter *N.* Matrimonium perfectum, absolutum, indissolubile est.

342. *Obj. III.* Matrimonium est inter Christianos sacramentum; ergo debet adesse signum sensibile: atqui eveniente conditione non apparet sufficiens signum sensibile. *Conf.* Cætera sacramenta novæ Legis a futura conditione pendere nequeunt; ergo nec matrimonium.

R. *N. min.* Nam signum sensibile sufficiens est ipse conditionis eventus, per quam ex contrahentium pacto eorum consensus adhuc perseverans redditur sensibilis et absolutus; conditio enim eveniens operatur idem, quod contractus pure celebratus, L. 11. ff. qui potior. in pign. L. 7. ff. de contrah. empt. §. 6. Instit. de V. O. *Ad Conf.* disparitas est; quod matrimonium retinuerit rationem contractus; hic vero conditionatus esse potest, et sine novo consensu perficitur conditione impleta.

Utrum vero in hac sententia necesse sit, ut conditio impleatur coram parochō et testibus, vel his saltem significetur ejus impletio, adhuc inter auctores controversatur. Probabilius videtur, id necessarium non esse, modo ab initio coram parochō et testibus sub conditione contractum sit; quia jam obtinetur finis Tridentini, ne deserto primo matrimonio contrahatur aliud, cum non permittit Ecclesia aliud contrahi matrimonium, nisi constet de non impleta conditione, aut revocatione consensus conditione adhuc pendente. Sic etiam in matrimonio, quod per procuratorem contrahitur, necesse

non est, ut sciat parochus et testes, mandatū esse legitime datum, non revocatum, etc. sed sufficit eos præsentē esse, dum per procuratorem contrahitur: item in casu, quo impuberes impubertate naturali contraxerunt coram parochō et testibus dicendo, se puberes esse et potentes ad generandum, necesse non est, ut postea manifestent parochō et testibus secutam esse pubertatem. Imo juxta communem sententiam erit matrimonium absolutum, licet conditionis impletio nondum constet ipsis contrahentibus, quanquam, ut bona fide uti matrimonio possint, hæc ipsis constare debeat; cur ergo conditionis eventus constare debeat parochō et testibus? Accedit, quod Tridentinum requirat præsentiam parochi et testium, quando contrahitur matrimonium; sed contrahitur tunc, quando consensui conditio apponitur; non quando ea impletur. Et demum teste Fagnano hoc sufficienter declararunt Pius V. et Clem. VIII. pro valido habentes matrimonium per verba de præsentī sub conditione de futuro honesta contractum coram parochō et testibus, approbantes declarationem S. Congr. Cardin. Concil. Trid.

ARTICULUS III.

UTRUM AD VALOREM MATRIMONII FILIORUMFAMILIAS SIT NECESSARIUS PARENTUM CONSENSUS?

343. Affirmat Calvin. L. 4. Inst. c. 19. leges Pontificias, quibus conjugia inter adolescentulos parentum injussu contracta firma rataque declarantur, vocans *in Deum impias, partim in homines iniquissimas*, h. e. contra jus naturale et divinum. Distinctione Lutherus utitur serm. de Matrim. Si ex conjugio absque parentum consensu contracto jam nata sit proles, vult illud ratum esse debere; secus vero, esse irritabile pro arbitrio parentum. Brentius non parentibus, sed magistratui potestatem tribuit irritandi, vel confirmandi matrimonia a filiis inita parentibus sive invitis, sive insciis; singuli vero se jure *naturali et divino* fundari contendunt.

Concordi e contra sententia nunc præsertim post Tridentinum tenent Catholici, nec *jure naturali*, nec *divino* irrita esse dicta matrimonia, licet illicita, si absque justa causa ita filii contrahant; et solum inter eos post Trid. orta fuit quæstio, an S. Synodus decreto suo Sess. 24. de ref. Matrim. c. 1. dogma definire voluerit duntaxat contra Novatores, qui docuerant matrimonia, ex defectu consensus parentum utroque jure, *naturali et divino* irrita esse, ideoque parentes ex utroque hoc jure posse ea rata facere, vel irrita; vel utrum præter dogma illud contra hæreticos voluerit generalem disciplinæ legem proponere, qua deinceps dicta matrimonia in tota Ecclesia rata, firmaque haberentur? Negarunt hoc posterius nonnulli Doctores Galliæ, existimantes, decreto Tridentini solummodo contra Novatores definire, non posse parentes jure naturali et divino rata, vel irrita facere sine suo consensu contracta a filiis matrimonia; nihil vero statui de privatis provinciarum, vel regnorum legibus, quibus ea matrimonia vel rata haberentur, vel irrita; proinde eo decreto nullum præjudicium inferri legibus Galliæ, quibus irritata esse talia matrimonia putabant.

344. *Dico I.* Matrimonia a filiisfamilias, idem est de filiabus, contracta parentibus sive insciis, sive invitis, nec jure naturali, nec divino, nec humano irrita sunt; nec proinde magistratus, vel parentes possunt suo arbitrio ea vel rata facere, vel irrita.

Prob. per part. I. Non jure naturali; quia sicut matrimonium est solius viri feminaeque conjunctio, qui suo consensu contractum perficiunt, ita spectato jure naturali pro sua essentia utriusque contrahentis consensum postulat; hoc igitur habito valebit jure naturali. Deinde spectato naturae sensu prorsus iniquum apparet, filios ita parentum potestati velle substernere, ut sine horum consensu valide contrahere matrimonium non possint. 1°. Quia interdum filii ipsis parentibus prudentiores sunt. 2°. Parentes ex sordida subinde avaritia, ne dotem numerare cogantur, impediunt filiorum matrimonia. 3°. Vel politicis ex causis consensum procrastinant cum incontinentiae et animarum periculo. 4°. Aliquando liberos etiam invitos compellere intendunt in monasterium, vel caelebs vitae genus, nunquam in eorum nuptias consensuri; vel ideo consensum negant, donec filius admittat sponsam, quam parentes elegerunt, licet eam aversetur filius; ex quo matrimonio non nisi infausti eventus oriri solent. 5°. Filiorum maxime interest, quibuscum perpetuam vitae societatem ineant, ob gravia onera matrimonio annexa, cum sit indissolubilis et perpetua quaedam quasi servitus, a qua per naturam liberi nascuntur; igitur jure naturae non debet ejus electio necessario pendere a voluntate aliorum, quam eorum, qui matrimonium ineunt. 6°. Saepe filii et filiae extra patriam potestatem sunt, ut emancipati, vidui, viduae, absentes in remotis terris, ut parentes consulere subinde non possint; vel aliunde non expediat. Et vel hinc *Conf.* Si ob reverentiam jure naturali parentibus debitam non possint inire valide matrimonium absque parentum consensu; ergo nec vidui, nec viduae, cum in his perseveret naturalis in parentes obligatio; sed consequens est directe contra Apostolum 1. Cor. 7. de vidua dicentem: *cui vult, nubat.*

II. Nec jure divino; tale enim non est assignabile, ut constabit solutione object. quin ex S. Scriptura tenemus, Jacobum patriarcham Gen. c. 29. duxisse uxorem secundam, Rachelem; et Gen. 30. alias duas Balam et Zelpham parentibus insciis; at hoc non fecisset patriarcha sanctissimus, si ad valorem matrimonii jure divino necessarius fuisset parentum consensus. Sed et Tobias junior Tob. 7. uxorem duxit Saram, jam pridem existente lege mosaica, sine scitu parentum; nec eum dehortatur angelus, viæ comes.

III. Nec jure positivo humano; ut iterum patebit solut. object. E contra Concil. Trident. Sess. 24. de Ref. Matr. c. 1. contrarium sancivit: ubi: *eos sancta Synodus anathemate damnat, qui falso affirmant, matrimonia a filiisfamilias sine parentum consensu contracta irrita esse, et parentes ea rata, vel irrita facere posse.* Ad quod movebantur Tridentini Patres ob rationes supra in *prob. part. 1^{ae}*. allatas, teste Pallavicino Concilii Trid. historico, tametsi Oratores Galliae solemniter Regis nomine peterent a Patribus, ut redderentur irrita matrimonia contracta a filiis absque parentum consensu, quod plerumque noxia, ac familiis indecora essent, et odiorum, ut ipsi putabant, quam amoris fomes inter conjuges.

Respondent equidem quidam Doctores Galliae, Concilium his verbis

voluisse damnare novos dogmatistas Lutherum et Calvinum, docentes, ea matrimonia esse jure naturali et divino irrita; non vero condidisse legem disciplinae universalis, contrariam legibus privatis regnorum, praesertim Galliae: sed huic responsioni occurreret concl. 2^a. Item valere ea matrimonia jam ante Trident. decreverat Nicolaus I. c. *Sufficiat* 3. caus. 27. q. 2., Innocent III. 2. *Tuae fraternitatis* de Sponsal. Clem. III. *Cum virum* 42. extra de Regular.

345. *Dico II.* Concilium Tridentinum, ante cit. Sess. 24. c. 1. de Ref. Matr. non tantum intendit damnare dogma Novatorum; sed simul condidit legem disciplinae universalis, vi cujus generaliter rata firmaque manerent matrimonia contracta sine consensu parentum.

Ratio est 1^o. Quia contrarium nullo solido fundamento dici potest, ut patebit solut. obj. 2^o. Si voluisset unice definire dogma contra Novatores, cur more alias constanter observato definitionem suam non reposuit inter Canones? 3^o. Si intendisset tantum damnare haereticos, nec inducere disciplinam universalem, etiam contra privatas leges provinciales; ergo vere adhuc essent irrita ea matrimonia vi legum istarum, possentque irritari a parentibus: sed hoc nequit conciliari cum Tridentino, quod decretum suum nullo signo restringit ad jus naturale et divinum; sed sine ulla distinctione inter jus naturale, divinum, humanum indefinite, adeoque universaliter pronuntiat valida esse ea matrimonia, nec posse a parentibus irritari. 4^o. Quia duplex erat controversia in Concilio, ut colligitur ex Pallav. Lib. 22. et 23.; prior spectabat dogma fidei, essentne irrita ea matrimonia *jure naturali et divino*, ut volebant haeretici? altera disciplinam, an expediret speciali lege irrita declarare haec matrimonia, quod posebant Oratores Galli? igitur cum his nihil concessum legatur in Concilio; sed e contra verbis generalibus rata et firma pronuncientur haec matrimonia, sat clare colligitur, Concilium voluisse simul legem disciplinae universalis condere.

346. *Obj. I. cont. concl. 1^{am}. ex jure naturali.* Vi praeccepti naturalis filii tenentur praestare obedientiam parentibus; ergo non possunt sine consensu contrahere matrimonium. *Conf.* 1. Jure naturali filiorum voluntas continetur in voluntate parentum. *Conf.* 2. L. 1. et 2. C. de Nupt. in quibus necessarius parentum consensus decernitur, haec datur ratio: hoc fieri debere et civilis et *naturalis ratio* suadet in tantum, ut jussus parentum praecedere debeat; ergo.

R. D. Cons. Non possunt valide *N. licite Subd.* Sine legitima causa *C.* hac habita *N.* Plus argumentum non probat. Caeterum in eligendo vitae statu nullus alteri homini a natura despotice subjectus est; sed soli Deo.

Ad Conf. 1^{am}. *R. D.* Voluntas filiorum, qui nondum ad perfectae rationis usum pervenerunt, continetur in voluntate parentum *C.* qui ad eum pervenerunt *Subd.* Quoad usum, curam, administrationem temporalium, etc. *C.* quoad vitae statum personalem *N.* ex dictis.

Ad Conf. 2^{am}. *R. D.* Naturalis ratio suadet, ut jussus parentum praecedere debeat, in ordine ad effectus civiles, et ad nuptiarum honestatem *C.* ad matrimonii et sacramenti valorem *N.* Vid. dicta de Spons. et inferius.

347. *Obj. II. ex jure positivo divino.* Matth. 19. dicitur Deus eos conjungere, qui contrahunt matrimonium: sed non potest dici, quod Deus conjungat eos, qui contrahunt sine consensu parentum; cum ita contrahentes peccent; ergo. *Conf. 1.* Gen. 38. Judas primogenito suo Her dedit uxorem Thamar; et iterum dedit eam filio suo Onan. *Conf. 2.* Exod. 22. dicitur: *Si virginem quis seduxerit, dotabit eam, et habebit eam uxorem. Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis.* Adde illud Deuter. 22. v. 16. Item 1. Cor. 7. *Qui matrimonio jungit virginem suam, bene facit, qui non jungit, melius facit.* Ubi requiritur consensus parentum.

R. *N. min.* Deus vere conjungit eos, qui absque parentum consensu contrahunt, sicut vere baptizatur qui cum affectu peccati mortalis baptismum recipit; et sicut vere concurrat ad eorum productionem, qui nascuntur ex adulterio, ut notat S. Thomas q. 48. a. 2. ad 2. Potest tamen aliquo sensu dici eosdem non conjungere, quatenus, si absque legitima causa sine parentum consensu contrahunt, non recipiunt fructum sacramenti; sicut aliquo sensu dici potest non communicasse, qui peccati mortalis conscius communicat, quia non recipit gratiam, licet vere corpus Christi recipiat.

Ad Conf. 1^{am}. R. Inde præcise, nec plus probari, quam electionem sponsi vel sponsæ, item propositionem pendere a parentibus; iis etiam incumbere, ut liberis de sponsa vel sponso provideant, et circumspiciant; non vero liberos non posse valide per se ipsos contrahere; quod solum negamus.

Ad Conf. 2^{am}. R. Illud Exod. 22. non est ad rem; non enim ibi agitur de conjugio, sed de stupro, quod vir habuit ad suam explendam libidinem, non ad habendam uxorem; in quo casu pro pœna criminis illud statuitur, ut, si stuprata voluerit et parentes ejus, illam possit stuprator habere in uxorem, sin minus, solvat dotem; datur ergo hoc casu potestas patri filiam stupratam negandi stupratori, licet hic eam ducere vellet, idque in stupri pœnam: unde nihil sequitur contra nos.

Quoad alia Scripturæ loca R. *D.* Requiritur consensus parentum necessarius ad valorem *N.* Tantum ibi fit mentio consensus, quatenus ad parentes pertinet providere filiis, item quatenus exigit honestas et reverentia, ut filii consulant parentes *C.* Unde idem Apost. 1. Cor. 7. v. 9. de viduis et virginibus simpliciter dicit: *quod si se non continent, nubant;* melius est enim nubere, etc. ubi nihil de consensu parentum.

348. *Obj. III. ex jure positivo humano.* Variæ leges civiles, uti pr. Inst. de Nupt. item L. 2. 48. 36. ff. de Ritu Nupt. absolute exigunt parentum consensum. *Conf. 1.* Concordat etiam jus canonicum; nam Evaristus can. *Aliter* 1. caus. 30. q. 1. conjugia sine consensu parentum inita vocat *non legitima*, imo *adulteria et stupra*. In eundem fere sensum loquuntur canones alii. *Conf. 2. ex SS. Patribus.* S. BASILIUS epist. ad Amphiloichium: *quæ, inquit, sine iis, qui habent potestatem, sunt matrimonia, sunt fornicationes.* Hic Pater græcus erat; talemque fuisse Ecclesiæ græcæ morem probat Leunclavius juris orientalis collector tom. 1. Lib. 3. Sed et eandem fuisse mentem Patrum latinorum colligitur ex Tertulliano L. 2. ad Uxor. cap. 9., S. Ambrosio Lib. 1. de Abrahamo cap. ult., Leone epist. 92. (al. 167.) ad Rusticum, et aliis. *Conf. 3.* In Gallia plurimum regum edictis, Hen-

rici III. in Comitibus Blesensibus anno 1379., Henrici IV. 1606., Ludovici XIII. 1629. et 1639. matrimonia filiorumfamilias sine consensu declarantur invalida.

R. *D. Ant.* Leges civiles exigunt consensum parentum ex honestate et ad licentiam *C.* ad valorem matrimonii *N.* Nam leges aliæ, velut 21. ff. de ritu Nupt. L. 44. c. de Nupt. contrahentium libertati omnino consultum volunt. Vel, si nihilominus quis vellet contentiose evincere, consensum parentum requisitum fuisse ad valorem, dicendum, leges illas fuisse correctas a jure canonico, præsertim jure novo Tridentini.

Ad Conf. 1^{am}. R. *N. A. Ad prob. D.* Evaristus vocat illa matrimonia *non legitima*, quia non contrahuntur secundum leges *C.* quia sunt invalida *N.* Item, vocat adulteria et stupra exaggerative, quia sunt prohibita, ideoque illicita *C.* adulteria, supra stricte sumpta *N.* Sic enim et vocat ibidem matrimonia, dum puella non dotetur, a paranympis non custodita et sociata offeratur; si sponsi biduo vel triduo non vacent precibus, nec castitatem servent; nemo tamen adulteria et stupra dicit matrimonia sine hoc ritu celebrata. Taceo, quod hæc Evaristi epistola pluribus supposititia sit. Eodem modo explicandi sunt canones alii.

Ad Conf. 2^{am}. R. *SS.* Patres loqui de matrimoniis ut illicitis, quia prohibitis, non ut invalidis, dicitur a S. Basilio *fornicationes* in latiore sensu. Vel, etiamsi concedamus juxta quarundam Ecclesiarum leges reprobata fuisse ea matrimonia quoad valorem, nihil tamen obstabit conclusioni; cum leges illæ abrogatæ sint, et correctæ per jus novum in Concilio Tridentino; Ecclesiæ enim abnegari nequit potestas, ut pro temporum varietate humana possit immutare statuta, prout vel necessitas, vel utilitas id exposcit, ut inquit Concil. Lateran. IV. can. 50. Imo illarum legum disciplinam jam a XII. circiter seculo mutari cœpisse, ex Innocentio III. in cap. *Tuæ fraternitatis* de Sponsalib., Lucio III. epist. ad Burgensem Episcopum cap. *Cum causam* de raptoribus colligitur.

Ad Conf. 3^{am}. R. *D.* In Gallia declarata sunt invalida quoad effectus civiles solum, ut dotationem uxoris sine consensu parentum nubentis, jus ad hæreditatem, legitimationem prolium, jus succedendi, etc. *C.* quoad substantiam, vel vinculum conjugale, et pro foro conscientie *N.* Nam cum clerus Gallicanus in Comitibus generalibus Parisiis anno 1629. congregatus libellum supplicem obtulisset ea de re Ludovico XIII. rogans, ut eæ voces *valide* aut *invalide* in Edicto ejusdem regis contentæ nequaquam intelligantur cum relatione ad contractum spirituale et sacramenti, sed solum ad contractum civilem; tum ut non adstringantur Ecclesiastici ad judicandum secundum hujus Edicti, et Blesensis articulos, sed secundum canones et decreta Ecclesiæ, respondit Ludovicus XIII. *Commonitio Cleri, quod spectat ad priorem difficultatem, sic resoluta fuit, valide, aut invalide, contracta matrimonia non esse aliter explicanda, quam per solam relationem ad contractum civilem per laicos judices. Altera pariter difficultas juxta et rationi congrua visa est.* Vide ea de re fusius Cabassutum Lib. 3. Theoriæ et praxis juris Canonici §. 4. et 6.

349. *Si dicas:* Matrimonium tamen Gastonis Ducis Aurelianensis fratris Ludovici XIII. cum Margaritha Lotharinga anno 1633. declaratum fuit invali-

¶ dum tam iudicio ecclesiastico, quam seculari ex defectu consensus Regis. Respondent Galli cum clero Gallicano in Comitibus generalibus anni 1637. esse hoc privilegium regum Galliae speciale tum antiqua consuetudine praescriptum, tum ecclesiastica auctoritate munitum, quod sine regum Galliae consensu invalida sint matrimonia tam filiorum suorum, quam aliorum regii sanguinis principum, qui jus proximum ad regnum habent.

ARTICULUS IV.

AN, ET QUO JURE METUS MATRIMONIUM INVALIDET?

330. Non est hic controversia de metu levi; neque de juste incusso, e. g. a iudice Ecclesiastico compellente ad standum sponsalibus; neque de incusso a causa non libera; cum certum sit omnibus, nullum ex his officere valori matrimonii. Quæstio solum de metu gravi instituitur, eoque injuste incusso a causa libera ad extorquendum consensum in matrimonium, an, praesertim 1^o. quo jure illud invalidet? 2^o. an etiam, si metum passus matrimonium firmasset juramento? Cæterum expositionem metus gravis vide de sponsalibus metu extortis.

331. *Dico I.* Metus gravis injuste incussus nec jure divino, nec jure naturali; sed solo jure ecclesiastico invalidat matrimonium.

Prob. 1^a. p. Quia nullum jus divinum assignari potest.

Prob. 2^a. p. Quia spectato jure naturali ad valorem contractuum plus non exigitur, quam consensus simpliciter voluntarius et liber; plus enim ex hoc jure deduci non potest: sed metus consensum simpliciter voluntarium et liberum non tollit; est enim hæc natura actus voluntatis interni, ut a nulla creata vi absolute cogi et impediri possit, quominus libere ac voluntarie feratur in objectum, si id prius cognoscat; et licet metus actum reddat involuntarium secundum quid, et velut conditionate voluntarium, ita ut quis nollet contrahere, nisi aliud metueret malum; manet tamen actus absolute liber et voluntarius; et ex metu volens vere vult, cum malum minus, ut ipsi apparet, eligat præ majori. *Conf.* Si metus invalidaret matrimonium jure naturali, ergo vel ratione consensus, quem tolleret, vel ob injuriam, quæ inferretur: *primum* dici non potest, tum quia ex ante dictis consensum non tollit; tum quia sequeretur pariter tolli consensum metu gravi juste illato, vel a causa non libera, ut morbo, et tunc æque jure naturali ob defectum consensus irritum esse matrimonium. *Non secundum*: quia injuria ex natura rei actum non irritat; sed solum tribuit jus vel rescindendi actum, vel petendi satisfactionem. Deinde si ob intercurrentem injuriam irritaretur, etiam metus levis injuste incussus aut metus injuste incussus ob alium plane finem, quam matrimonium, irritaret contractum, si metum passus ad mala, quæ metuit, evitanda eligeret matrimonium; quorum primum aperte falsum; alterum saltem plerisque, etiam adversariis, displicet.

Prob. 3^a. p. Ex c. 2. de eo, qui duxit. Ubi validum declaratur matrimonium, quod pars metum passa postmodum libere iniverat cum parte altera;

et declaratur nullum, quod prius erat metu extortum. Adde c. 14. 15. 28. h. t. Igitur cum nullo jure alio invalidatum reperiatur matrimonium extortum metu, sequitur solo illud jure ecclesiastico invalidatum esse.

332. *Nec dicas*: Ab Ecclesia invalidari solum tale matrimonium pro foro externo; ergo si metum patiens interne consentiat, uti potest, cum actus internus a nulla vi et causa extrinseca impedibilis sit, valebit matrimonium pro foro interno, non obstantibus textibus juris cit. Item, Ecclesiam tantum irritare hoc matrimonium, quia praesumit, non adesse consensum internum, ubi metus intervenit; ergo si adfuerit consensus, valebit, quia tunc praesumptio cedit veritati. Nam

R. N. A. juxta c. 2. de eo. cit. Si enim invalidaret solum pro foro externo hoc matrimonium, non potuisset approbari matrimonium alterum postmodum cum parte alia libere initum. *Ad alterum N. A.* Ecclesia enim non praesumit peccata, quæ probari debent; si vero niteretur hic praesumptione non positi interne consensus, praesumeret mendacium ex metu contrahentis. Sed irritans hoc matrimonium fundatur in veritate consensus, non sponte positi, sed per metum extorti, unde mala gravissima nasci solent.

333. *Dico II.* Matrimonium metu gravi et injusto extortum invalidum est, etiamsi a metum passo fuerit juramento firmatum.

Prob. Ex c. 2. de eo, qui duxit. cit., quo matrimonium metu initum declaratum est nullum, non obstante, quod fuisset juramento confirmatum. Deinde matrimonium extortum metu irritatum est boni communis causa; ergo et juramentum ei adjectum irritatum censi debet, ne obstet bono communi. arg. c. 27. de Jurejur. 12. de foro comp.

334. *Obj. I. cont. 1^{am}. concl.* Spectato jure naturali ex injustitia non potest nasci justitia, sive obligatio justitiæ; ergo vi hujus juris non potest valere matrimonium extortum injusto metu.

R. T. A. Nam ita absolute positum falsum est, cum ex injustitia oriatur obligatio justitiæ compensandi illatum damnum, vel satisfaciendi pro injuria. *N. Cons. et suppos.* quod obligatio illa matrimonialis nascatur ex injustitia, quam infert metum injuste incutiens; sed ex consensu simpliciter libero, quem ponit metum patiens, licet ponendi illum metus occasio fuerit. Reliquas objectiones jam attigimus, de Sponsalibus metu extortis, ubi legi possunt.

335. *Obj. II. cont. 2^{am}. concl. 1^o.* can. 22. caus. 22. q. 4. validum declaratur matrimonium cujusdam juratum, licet fuisset metu injusto extortum. 2^o. Tale juramentum nec est in præjudicium alicujus tertii; nec, si servetur, vergit in dispendium salutis; ergo servandum est, sicut solvendæ usuræ sunt, si quis sub juramento se eas soluturum promiserit. arg. c. 6. 8. 28. de Jurejur.

Ad 1^{um}. R. N. *assert.* Sed tantum cit. can. approbatur matrimonium, quod cessante injusto metu erat de novo et libere contrahendum; ad quod Hubaldus (de quo loquitur canon) tenebatur aliunde, ut concubinæ consuleretur; ita colligitur ex verbis: *Quia vero, quam prius concubinam*

habuerat, non est peccatum in conjugem suscipere, etc. ergo sermo est de matrimonio adhuc contrahendo, cessante metu; non vero approbatur contractum ex metu injusto.

Ad 2^{um}. R. N. *Ant.* Præjudicat enim juri canonico, quod boni publici causa irritavit matrimonium extortum metu; quatenus ex tali matrimonio nasci solent pugnae, lites, scandala, etc. quibus perturbatur respublica: unde tale juramentum contra bonos mores esse censendum est, et consequenter simul irritandum cum matrimonio. Quoad usuras est disparitas; quia solvere usuras nec peccatum est ex se, nec jure canonico prohibitum, nec boni publici causa irritatum; licet usuras exigere omni jure prohibitum sit; ergo, cum juramentum de usuris solvendis sine peccato servari possit, valebit.

CAPUT VII.

DE UNITATE MATRIMONII.

356. Duobus modis matrimonium dici potest *unum*: *Primo*; quia unus cum una conjunctus est. *Secundo*; quia priore conjugē defuncta, alteram postea non ducit: utraque ea unitas *monogamia* appellatur, et monogamus, qui uni conjunctus est, vel fuit. Priori unitati opponitur polygamia simultanea; posteriori successiva. *Polygamia simultanea* vero, ut ex ipsis vocibus liquet, dicitur, dum vir plures uxores simul sibi jungit; *successiva*, si vir successive plures uxores ducat, ita ut nova succedat priori demortuae. Quod si vir secundam tantum uxorem priore mortua ducat, *bigamia* in jure dicitur, et vir bigamus. Pari modo unitati matrimonii *polyviria*, dum eadem uxor pluribus viris nubit, opponitur, quæ, ut de polygamia dictum, vel simultanea, vel successiva potest intelligi.

ARTICULUS I.

AN LICITA SIT POLYGAMIA SUCCESSIVA? ET QUÆ ECCLESIE TUM LATINÆ, TUM GRÆCÆ CIRCA SECUNDAS, ET ULTERIORES NUPTIAS FUERIT DISCIPLINA?

357. *Nota.* Secundas nuptias ceu jure divino illicitas atque irritas, teste Aug. Lib. de Hæresib. c. 26., damnaverant olim Montanistæ, quibus se Tertullianus adjunxit Lib. de Monogamia c. 1. *Hæretici* (Marcionitæ), inquiens, *nuptias auferunt. Psychici* (Catholici) *ingerunt. Illi nec semel, isti non semel nubunt... Verum neque continentia ejusmodi laudanda, quia hæretica est; neque licentia defendenda, quia psychica est. Illa blasphemat; ista luxuriat.* Idem dogma postea Novatianis placuit: *eos enim*, refert THEODORETUS Lib. 3. Fabularum hæreticarum cap 5. (opp. t. 4. p. 229. D.) *qui secundas nuptias inierint, a sacris Mysteriis repellunt.*

358. *Dico I.* Nec secundæ nuptiæ, nec posteriores jure divino illicitæ sunt aut irritæ.

Prob. I. Tales nuptiæ 1^o. non repugnant legi naturali, quia non repugnant matrimonii fini tum primario, tum secundario. 2^o. Nec repugnabant olim legi Mosaicæ; hæc enim eas nusquam prohibet, sed potius approbat, dum Judæis præcipit, ut ducant mulierem, quam frater absque liberis reliquerit. 3^o. Nec adversantur legi Evangelicæ; hujus enim auctor Christus eas nullibi aut damnat, aut vetat. Imo legi Evangelicæ plane conformes sunt; nam, et

Prob. II. positive. 1. Cor. 7. absolute docet Apostolus: *mulier alligata est legi, quanto tempore vir ejus vivit; quod si dormierit vir ejus, liberata est: cui vult nubat: tantum in Domino.* Quæ verba diligenter expendens Augustinus L. de bono viduitatis c. 12. notat, Apostolum non dixisse, *si dormierit primus vir, aut secundus, aut tertius*, sed indefinite *vir ejus*; proinde, marito mortuo, semper licebit nubere alteri, et similiter viro mortua uxore ducere aliam, cum sit par ratio.

359. *Dico II.* Nec Ecclesia latina unquam secundas et posteriores nuptias aut irritas aut illicitas fecit, vel judicavit.

Prob. I. negative. Nullus enim latinorum Patrum produci potest, qui nuptias illas irritas aut illicitas fuisse asseruisset, quod alias certe fecissent vigilantissimi pastores, si vel illicitæ tantum fuissent. Ideo et S. Hieronimus epist. ad Geruntiam (al. Ageruchiam epist. 123. vel 11.) dum refert n. 10, Damasi tempore fuisse Romæ par conjugum, quorum alter viginti uxores sepelierat, altera maritos viginti et unum, licet id graviter ferret, non tamen nuptias perstringebat in se ceu illicitas, sed tantum excessum libidinis et concupiscentiæ.

Prob. II. positive. Patres latini, licet innuant temperare a novis nuptiis rem esse consilii, id tamen non esse præcepti volunt sive divini, sive ecclesiastici. Sic S. AMBROS. Lib. de Viduis (opp. t. 2. p. 203. E.) *Quod pro consilio dicimus, inquit, non pro præcepto imperamus... neque enim prohibemus secundas nuptias, sed non suademus... licet ergo nubere, sed pulchrius est abstinere.* S. AUG. Lib. de bono viduitatis c. 12. *De tertiis et de quartis nuptiis, et de ultra pluribus, ait, solent homines movere quæstionem. Unde ut breviter respondeam, nec ulla nuptias audeo damnare, nec iis verecundiam numerositatis auferre:* ac in medium proferens mulierem, quæ septem viros habuerat, a Sadducæis Christo propositam dicit: *sed nec ipsam tot maritorum mulierem Christus damnavit.* Adde quæ ex eodem S. Patre in concl. præc. retulimus, et quæ eod. Lib. de bono Vid. c. 11. enunciat: *ne arbitreris, vel secundas nuptias crimen esse, vel quascumque nuptias malum esse.* S. HIERON. postquam tot laudibus virginitatem extulisset contra Jovinianum, ut prope nuptias depressisse videretur, in epist. ad Pammachium sive apologia, quam adversus Jovinianum adornavit (opp. t. 1. epist. 30. al. 50. et 48.) suam et Ecclesiæ mentem palam aperit: *ego nunc libera voce proclamo, non damnari in Ecclesia digamiam, imo nec trigamiam, et ita licere quinto et sexto et ultra, quomodo secundo marito nubere.* Unde et Conc. Florent. in Decreto pro Jacobitis docet, non solum secundas, sed tertias, et quartas et posteriores nuptias licite contrahi posse.